

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2. epist. ad Corinth. 2, 15.16

**Buddeus, Johann Franz
Naumann, Tobias Gottfr.**

Ienae, 1712

VD18 11426357-001

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)



60 A 2691,1

EX
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

657/23

42

Q. D. B. V.

EXERCITATIO THEOLOGICA

DE

FRAGRANTIA CHRISTI

QUAM

EX II. EPIST. AD CORINTH. CAP. II COM. XV. XVI.

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,

ANGARIAE, VVESTPHALIAE ET RELIQA

PRAESIDE

IOAN. FRANCISCO BVDDEO

S. S. THEOL. DOCTOR. AC PROF. PVBL. ORDIN.

h. t. PRORECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO

MENSE DECEMBRI ANNI MDCCXII

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

AUTOR RESPONSVRVS

TOB. GODOFR. NAVMANN.

MINSL. VVERNIGERODANVS.

I E N A E,

LITTERIS MVLLERIANIS.

1712

EXERCITATIO THEOLOGICA

DE
FRAGRANTIA CHRISTI

EX H. BEISS. AD CORINTH. CAP. II. VER. 23.
RECTORE ACADEMIAE MADRUGENSISSIMO
SEBASTIANO PRINCIPIS DE DOMINO

DR. GUILIELMO HENRICO

DUCE Saxoniae, VVilaei, Cliviae, Montium,
Angariae, Vices Regiae et Regiae

IOAN. FRANCISCO BVDDEO

S. S. THEOL. DOCTOR AC. ET. DE. IVRI. ORDIN.
P. DIRECTOR. ACADEMIAE MADRUGENSISSIMO

ANNO 1725. DIE 24. APRILIS. A. M. D. C. C. C. V.

PERITIO ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

JOH. GODOFR. NAYMANN

MINOR. PERNITIONE. D. N. S.

1725. N. 24.

LITTERIS MULLERIANIS



F. N. F.

SECTIO PRIMA,
Philologico - Exegetica.

§. I.



Vantus quidem in Christo, Salvatore nostro, reconditus sit diuitiarum thesaurus, dona ab ipso parata, spiritualia, & coelestia, complectens, nec excogitari, nec praedicari satis vnquam poterit: Sacra tamen Scriptura, a qua omnis fallendi suspicio longissime abest, id nunc clare & perspicue sine vlllo inuolucro; nunc sub figura & tropo, perpendiculariter exhibet. Nonne enim omnia ferme rerum terrestrium schemata, sub troporum colore, ad res Christi applicantur? Inspiciamus

A 2

mus

mus ipsius Saluatoris, quos in diebus carnis fecit, sermones; & parabolicam loquendi methodum, hinc inde deprehendemus. Apostolorum si perlegimus scripta, quot quaesito ibi nobis de Christo, eiusque regno ac donis, tropicae & figuratae occurrent locutiones? Taceo nunc veteris testamenti oracula, quae pro temporis ratione, & hominum conditione, inuolucris fere omnia inclusa proponunt. Inpraesentiarum animo sedet, perpendere saltem illud; *II. Cor. II. 14. 15.* vbi mentio fit *bonae fragrantiae Christi*. Tu autem Christe iuua, vt mens tuo collustrata lumine, ea saltem meditetur, quae in tuum cedunt honorem.

§. II. De *bona* autem *Christi fragrantia* acturus, omnium primo dicendum esse abitor, quidnam haec loquendi ratio significet. Quamquam enim frequens eiusdem sit vsus, improprie tamen saepissime vsurpatam deprehendimus. Per *bonam fragrantiam Christi* nihil quicquam aliud, quam oblectationem, acquiescentiam, & singularem voluptatem, qua Pater coelestis propter Christum ipsiusque meritum affectus est, quamque Filius vnigenitus Patris in quo vnice acquiescit, ipsi creauit, ex communissi-

munissimo in sacris usu, intelligendum esse, existimo. Patebit id cuius ad oculum, ex iis, quae inferius in medium proferentur. Hic saltem subiicio loca, ubi contrarium reperitur, *Gen.* nempe *XXXIV-30. Exod. V-21. 1. Sam. XIV. 4. &c.* In his enim locis si foetidum quenquam reddere, idem est ac exosum, taediumque reddere, certe e contrario bonum odorem, voluptatem, quam de quopiam capere possum, significare, certo certius constabit.

§. III. *Bona fragrantia*, graecis dicitur *εὐωδία*, descendens ab *eu bene*, & *ὄζω oleo*; diciturque proprie de rebus bonum odorem spirantibus. At in sacris literis, per metaphoram frequentissime usurpatur de iis rebus, quae sunt gratae & acceptae, ut coincidat cum voce *εὐδοκία*. Deo tribuitur per metaphoram sacram, quam *ἀνθρωποπάθειαν* dicunt doctores: *θεοπροπῶς* autem intelligi debet.

§. IV. Quis enim, quaeso, odoris boni effectus primus ac praecipuus est in hominum naribus? Nullus certe alius, quam delectatio quaedam salutaris, ac refocillatio, nec non spirituum animalium in cerebro, totoque hu-

mano corpore, corroboratio. Ob suauitatem enim particulae odoriferae per nares irruendo cerebrum demulcent, spiritus animales augent, sopitos autem in eodem, & a quacunque causa stupefactos, recreant, ac agiles reddunt, ita vt interdum suauitate odorum exanimis etiam reuocentur, quia naturae humanae gratus est odor bonus, & acceptus. Accensa itaque thymiamata, vel alia odoramenta, quae fumos fragrantis exhalant, halitusque suaues spirant, amamus, iisque oblectamur, quippe quae venenosos vapores ac foetores dissipant & expellunt. Foetor contra vehementissime offendit naturam, & prosternit nonnunquam, mortemque infert: ita, vt, si foetorem tormentum & cruciatum dixeris, a vero non aberraueris. Hinc cadauera, ac singula graueolentia celerrime ac procul fugimus. Ex dictis liquido constat, bonam fragrantiam denotare posse, delectationem, siue voluptatem singularem, quam proxime efficit.

§. V. *Euidia* rarius quidem absolute in sacris ponitur literis, fere tamen adiunctam habet vocem *ὄσμην*, ex linguae idiotismo non sine

sine emphasi. * *Evodia* enim per se iam denotat odorem suavem, bonum, gratum, eumque late, & maximo sensu sese diffundentem. Accedente ergo voce ὀσμῆ, quae alias vocabulum μέσον est, designatur odor benefragrans.

§. VI. Vocis *odoris*, in scripturis varia ac multiplex est acceptio, tam in bonam, quam in malam partem; sed eam omnem hic enarrare, superuacaneum valde foret, & a scopo remotum. Potiores significaciones recenset Matthias Flacius. ** Vocis *ἐβωδίας* tantum acceptiones indicabimus, quae ad nostrum faciunt institutum. Omnium primo & praecipue usurpatur vox *ἐβωδία* a LXX. interpretibus de sacrificiis DEO oblatis, quae igne consumebantur. In eorum enim accensione odor omnino redolebat, qui non adeo quidem gratus, quin potius molestus erat, ob foetorem, quem carnes accensae alias exhalabant. Vnde ob longe alium respectum, odor ille, suavis dicendus erit. Neque enim in

* Vid. Glassius in *Gram. S. l. 3. tract. 1. cap. XXXII, p. m. 461.* Celeberrimus Danzius noster, in *interprete* §. 18.

** In *clauae sua*, sub voce *odor*.

toto veteri testamento vbi de sacrificiis comburendis, quae vel quoad totum, vel partem, igni immolabantur, vlla ferme fit mentio, vbi non appositam inuenies formulam *וּרְחַם לַיהוָה* vel cum praefixo (ה) *לַיהוָה*: *In fragrantiam s. odorem acquiescentiae Domino*, seu vti Lutherus vertit: *zum süßen Geruch dem HERREN*. Legitur v. c. (α) de HOLOCAUSTI sacrificio, quod ex armentis, bobus puta, vitulis, ouibus, capris & turturibus constabat, *Leu. I. 9. 13. 17.* & totum igne consumebatur, vt esset typus veri & vnici illius propitiatorii sacrificii, quod Christus in ara crucis exaltatus, & caritatis igne succensus, Patri suo coelesti obulit, in odorem suauitatis. (β) de MINCHA, quae ex farina, oleo & thure constabat, cuius partem sacerdos capiebat, *cap. II, 2. 9.* (γ) de *eucharisticis* siue PACTIFICIS, quae erant gratitudinis, pro beneficiis acceptis declarandae, symbola, & ex bobus, ouibus & capellis constabant, *cap. III, 16. & 5.* (δ) de sacrificiis PRO PECCATIS, expiatoriis vulgo dictis, quorum oblatione peccata expiabantur, & DEVS placabatur, non vi propria innata, sed vi meriti Christi, cuius erant typi; *cap. IV, 31.* Quamuis autem vbique, in sacri-

ficio-

ficiorum recensione, hanc formulam repetitam esse, non animaduertimus, sufficit tamen probasse, omnia sacrificiorum genera hanc obfignasse formulam, vnde ad reliqua nunc colligere licebit. Quemadmodum autem, omnia a DEO instituta sacrificiorum genera, Messiam, qui in dierum extremitate venturus, & Deo se victimam, ad expianda, hominum peccata, traditurus erat, respiciebant; ita quoque (2) *εὐωδία* de hoc noui testamenti sacrificio expiatorio dicitur, *Eph. V. 3.* (3) speciali quadam ratione de EVANGELIO, eiusque MINISTERIO, quod Christum crucifixum, praedicat, dicitur *II. Cor. II. 15. 16.* (4) usurpatam videbis vocem de beneficiis siue elemosynis in egenos collatis, *Phil. IV. 18.*

§. VII. In paginis veteris testamenti vocabulo *εὐωδίας*, respondet *ריח גיחוד* odor acquiescentiae, siue quietis. Hinc etiam hanc formulam LXX. interpretes vbiuis per *ὄσμην εὐωδίας* verterunt, nec sine pondere. Indicat enim Deum, qui grauissime peccatis offensus erat, vnico sacrificio Messiae, quod ipsi odorem acquiescentiae praebet, reconciliatum esse. Sic *Gen. VIII. 2.* de Noae sacrificio, quod post dilu-

B uium

nium Deo in grati animi monumentum obtulit, legimus: וריח ירוה את ריח הניחח & *odoratus est Ieboua odorem quietis.* Id Chaldaeus paraphrastes bene explicauit: & *accepit DEVS in beneplacito oblationem eius.* Hic ipse locus, egregie hanc nobis phrasin explicat. Iustissimus iudex, homines, qui correctionem Spiritus sui admittere renuebant deleturus, diluuium immiserat maximum. Deleta per illud ingenti hominum, & coeterorum animantium multitudine, Noachus superstes conseruatus, pro tanto Numinis beneficio, vt gratum se sifteret, Deo offert sacrificium, quod ipsi spirabat *odorem quietis*; quid hoc sibi velit, sequentia statim indicant verba: *dixitque Ieboua ad cor suum non addam maledicere amplius terrae.* Ecce destitit ab ira, quam exercuerat, gratiamque impostero incolis terrae large promittit. Propter Messiam enim, ad quem Noachi tendebat fides, gratum ipsi erat sacrificium acceptumque, isque quod ab ira quiuerit, effecit. *Recte Io. Cocceius ** de aliis veteris testamenti sacrificiis, verba faciens: *In veteri testamen-*
to,

* vid. Lutherus in Comm. ad h. l.

** In Lexic. p. 799.

to, *victimae adolitae sic appellabantur*, non quod proprie id nomen ipsis conueniret, sed quod substituerentur, pro eo sacrificio, quod DEO gratum est, & quod Deo placeret fides, nitens eo sacrificio, & confessio gratiae DEI, & glorificatio Nominis eius. Tametsi enim *victimae darent odorem, aut nitorem, tamen non erant Deo odor acquiescentiae, & placationis irae* (nisi ipse Messias hoc praestiterit,) *est enim ריח מנוח חמת יהוה proprie ריח מנוח חמת יהוה odor faciens quiescere iram DEI.*

§. VIII. Ab hominum moribus, haec desumpta phrasis, ad Deum applicata est. Nihil quippe hominum animos, magis turbat, & commouet, quam ira, adeo, vt totos eos reddat inquietos, & turbulentos. Ira & vindictae cupido incitant & stimulant animum, sine intermissione, ad viam & modum, vlciscendi laesionem indagandum, ne malum illatum incassum ferat. Quando autem homo placatur, & reconciliatur, desinit status antea satis turbulentus, vt nunc, quem alias raedio fugit, beneplacito suscipiat. In Deo quidem, nulla est perturbatio, nullaque datur *ἀραξία*; secundum nostrum tamen concipiendi modum, phrasis a

motibus & affectibus hominum petita, ad Deum adplicatur, remota omni imperfectione, quam alias inuoluere solet. Nam quando Deo ira tribuitur, nullam in eo designat mutationem, quippe qui semper, & in infinitum vnus idemque est, ac manet. Quidnam vero Spiritus S. hisce locutionibus indicare voluit? Gaudium puta iustitiae diuinae, vindicandi impietatem, quo peccatores istam offenderunt, & alacritatem in infligendis suppliciis. Id vel ex *Deut. XXXIX. 63.* apertissime constat, vbi gaudium perdendi immorigeros, opponitur gaudio beneficiendi. Hinc saepius vbi de ira sermo est, additam statim inuenies, explanationis gratia, mentionem de vltione. vid. *Nab. I. 2.* AVGVSTINVS: * *Cum DEVS irasci dicitur, non eius significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis; sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta eius, quae non nisi iusta est, irae nomen accepit.* Ita DEVS non dicitur ab ira quiescere, quemadmodum homines, sed modo, qui Deum decet, hoc intelligendum est; idem est, ac si dixisset, vindictam exsequi desistit, & poenas

* In Enchiridio ad Laurent. c. 33.

poenas infligere cessavit, irae loco gratiam exhibet, & oblectatur nunc iis, quos alias tanquam hostes propellebat. Id quod ulterius patet, quando DEVS in contrarium testatur *Leu. XXVI. 31. odorem vestrae fragrantiae, non odorabo, i. e. eis non oblector, non accipiam, neque gratiam exhibebo.*

§. IX. De praedicatione euangelii eiusque ministerio, per quod Iesus crucifixus, cum merito & reconciliatione peccatorum cum Deo irato, manifestatur, quod sit *ἑὺωδία χριστοῦ*, Christi fragrantia bona Deo, odor nempe suavitatis, gratus & acceptabilis, Paulus loquitur *II. Cor. II. 15. χριστοῦ ἑὺωδία ἐσμὲν τῷ Θεῷ ἐν τοῖς σωζομένοις καὶ ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις. οἷς μὲν, ὁσμή θανάτου εἰς θάνατον. οἷς δὲ ὁσμή ζωῆς εἰς ζωὴν. Christi sumus fragrantia Deo, in iis qui saluantur & in iis qui pereunt. His quidem odor mortis ad mortem: illis vero odor vitae ad vitam.* Nulla e Paulinarum epistolarum numero certe datur, in qua articulum de euangelii doctrina eiusque ministerio, fusius & solidius, tanquam in propria sua sede tractet apostolus, quam haec posterior ad Corinthios scripta. In

ista enim cum eiusmodi hominibus ei res erat, qui variis occupati erroribus, de lege & euangelio a doctoribus suis male instituti erant. Rectum itaque de euangelio sensum iis inculcare allaborabat. Ideo per tot capita, hanc tractat materiam, a *cap. II com. 12. ad V.* in vna serie, & *cap. V.* inserit accidentalia nonnulla, quae euangelium comitantur, quo crux Christianorum pertinet. Sub finem huius capituli epilogum, totam doctrinam summam complectentem, annectit; tandemque *cap. VI. & VII.* usum in praxi vitae ostendit. Haec vero iam allata verba, theses instar cuiusdam sunt, quam deinceps Paulus explicat ulterius. Meum igitur erit, sensum eiusdem pluribus indagare.

§. X. Ut igitur ab ovo rem exordiar, Paulus celebrat DEVM coelestem Patrem, quod apostolorum ministerio, agnitio Iesu Christi tanquam odor bonus, vndiquaque manifestatus sit, inter gentes. Hinc ipsorum ministerium, quod euangelium de Christo administrat, Deo gratum, acceptumque esse, persuasum habet, quanquam omnibus ac singulis mortalibus, ipsorummet culpa, non in salutem vergat; nihilominus tamen Deum, iis, qui de filio suo
euan-

euangelium annunciant, ipsorumque ministerio delectari credit. Se ipsum hic sistit apostolus, cum Timotheo suo, quos huius in epistolae inscriptione, coniunctim nominatos inuenimus, omnes, qui eodem rite fungantur officio, vna comprehendens, tanquam subiectum illud, de quo asserit, quod DEO sit *εὐωδία bonus odor Christi: εὐωδία εἰσμεν* inquit. Personam ipsorum non solum, sed etiam ministerium, quod obibant, per quod euangelium Christi hominibus, mysterium mundo absconditum, tradebant, intelligit. Asserit ergo tum de se, quem expresse indigitat, cum reliquis apostolis, tum de euangelio, eiusque ministerio, quod Deus iis vtatur, tanquam thymiamate, vel odora-mento, vt odorem spargant salutarem, euangelii annunciatione, in toto orbe. Et quid inde, colligitur aliud, quam quod Deus delectetur iis, tanquam sacrificio suaueolenti vel fragrantissimo incenso in thuribulis, vel vnguento fragranti, respiciens Christum, filium suum *ἀγαπητόν*, in quo vnice acquiescit, & qui efficit, vt homines sub ira potentissimi Numinis constituti, nunc iterum eidem sint accepti. Ecquid est, quod Deo Patri suauius, gratius vel acceptius

ptius dici ac cogitari possit, quam vt verbum euangelii de filio suo dilectissimo, ad totum genus humanum pertingat, ac agnitio exinde deriuanda, ad omnes propagetur gentes, vt miserimi peccatores, cum Deo reconciliati salutem aeternam consequantur.

§. XI. Hunc Spiritum S. his verbis intendisse sensum, nullum est dubium; rem vero omnem liquido edocebit textus *συνάφεια*, si quae eum antecedunt, & consequuntur, considerauerimus. Antecedentia enim quando attendimus, deprehendimus, apostolum *com. 12.* exordiri ministerii sui apologiam, dum fusius enarrat, quem fructum & effectum euangelium, quod in Asia praedicaauerat, habuerit. Hoc feliciter ac salutariter administrati muneris tropaeum esse, & monumentum longe splendidissimum, agnoscit, quo re ipsa deprehendat, suos labores non irritos fuisse. Ideo subsequenti *com. 14.* gratias Deo persoluit, quod per gratiam ipsius, omnia omni tempore obstacula & impedimenta, quibuscum colluctandum fuisset superauerit, adeo, vt agnitio Summi Numinis, & Iesu Christi, mediatoris Deum inter & homines, sit tanquam bonus odor, sua
opera

opera ex euangelio vbique sparsus. Totus enim in eo versatur apostolus, vt concionem euangelii rite defendat, contra omnes maleuolentium obrectationes, quo suis auditoribus firmiter hanc thesin imprimat, euangelium de Christo, quod ipse praedicabat, non esse recens hominum inuentum, aut futile commentum aliquod, sed verbum vitae, ab ipso Christo, tanquam fonte proficiscens, in quo vnice salus quaerenda, non vero in lege iram & poenas comminante. Hinc *com. 15.* vltius progreditur Paulus, & causam subiicit eorum, quae antea dixerat, vt corroboret, quisnam fons & origo sit, quod odor agnitionis Christi manifestatus, nullus certe alius, quam Christi *εὐωδία*; quod causalis particula *ὅτι* indicat. Ne vero exceptioni vllum relinquat locum, *euangelium non ab omnibus recipi*, subiicit, quocunque modo euentus cadat, esse, & manere tamen euangelium, *εὐωδίαν χριστῶς*. Maxima cum parrhesia, affectuque laetitiae & spei impletus, ob Corinthiorum emendationem, haec omnia proponit.

§. XII. Haec certius constabunt ex iis, quae sequuntur *com. 17.* vbi apostolus suam

C

in

in praeconio euangelii sinceritatem testatur; quam testificationem, tanquam nouam inducit causam, cur DEO ministerium suum sit acceptum, & salutaris efficaciae nunquam expers. Innuit nempe, se non miscuisse in praeconio suo, falsa vel ficta veris, non humana placita diuinis veritatibus, non legem euangelio, sed sine omni mixtura, pure & sincere, euangelium auditoribus suis propinasse, vt Christum glorificaret inter gentes: se non inflexisse veritatem ad affectus Iudaeorum, non ad iudicia rationis, luci gratia. Graecam vocem *καπηλέειν* adhibet, quod de cauponibus dicitur, qui vinum aqua miscunt luci gratia. Idem argumentum prosequitur seq. *cap. III.* in quo inter legem & euangelium, item inter euangelii & legis ministerium comparisonem instituit, vt eo magis elucescat, apostolorum ministerium esse suauem odorem Deo.

§. XIII. Si scopum conferas cum his omnibus, indubitato videbis, mentem apostoli vt decet nos exposuisse. Tota haec posterior ad Corinthios epistola, apologiam Pauli complectitur, aduersus Pseudapostolos. Hanc *com. 12. cap. II.* exorditur, & per varia eaque vali-

validissima argumenta *cap. III. IV. & V.* continuat. Pseudapostoli enim, quantos praeconium Pauli fructus produxisset, experti, propagatione euangelii haud interrupta, grauiter offensi erant. Hinc Christo aduersi, fructus enatos suffocaturi, ministerio Pauli auctoritatem abrogare laborabant, mendacia, affectatam in ecclesiam tyrannidem, imposturam, verbique diuini deprauationem, ipsi obiiciendo. Horum vanitatem vt retunderet, ad falso imputata responderet, & fidelium corroboraret fiduciam, omnem Paulus nauat operam hac in epistola: euangelium verum esse, eiusque praedicationem a se sine fuce factam, ob oculos ponit. Hac occasione data legem cum euangelio contendit, huius prae illa euidentissimam praestantiam commonstrat, fructusque varios enarrat egregie, vt euangelii vocem eiusque ministerium tanquam bonam fragrantiam Christi, vndiquaque mirum in modum commendat. Absit vt cogitemus, Paulum vanam hic captare gloriam, quodque DEO sit fragrantia bona Christi, sibi vindicare. Nam scopus apostoli plane requirit aliud. Non enim erat *καπελεύων*, euangelii praeconio gloriam sibi simul

acquirens. Hoc eo magis remouet, quo magis homines deprauati huc inclinant. Quando sub finem *com. 16.* tale subiungit suspirium: καὶ πρὸς ταῦτα τις ἰκανός, suarum his verbis virium defectum, submississimo animo, in hoc tam difficili negotio, ingenue confitetur, & omnes vires ad eius deponit pedes, a quo acceperat.

§. XIV. Non autem necesse est vt cogitemus, hoc loco Paulum, ministerium euangelii obiter vel casu forte, odoris boni insignire nomine. Si eam teneremus sententiam, magno opere profecto falleremur, nec nos Pauli mentem inspexisse, manifestum esset. Certe frequens huius locutionis vsus, lectorem extra dubitandi licentiam constituit. Iudaeos imprimis eius vis & emphasis latere non poterat, quippe qui, vti supra ostendimus, acceptiones notatu dignissimas, frequenter satis ob oculos habebant. Si apocryphi libri testimonium alicuius momenti foret, ad Siracidem prouocari posset, qui virtutes fidelium hoc sub schemate designauit, *cap. XXXIX. 18. coll. Hof. XIV. 7.* Quid? quod ex vsu quotidiano sensus eiusdem cuius facile patet. Causam ergo indagemus cur apostolus, vel Spiritus sanctus, hanc nostro in loco adhi-

adhibere voluerit phrasin, quando dicit: *χρη-
58 εὐωδία ἐσμὲν τῷ Θεῷ.*

§. XV. Procul dubio id Spiritui sancto placuit, ob specialem & notabilem quendam ad vetus testamentum respectum. Retroducit nempe mentes nostras ad veteris foederis ritus & typos, quorum explicationes nouum testamentum vndiquaque exhibet. In horum numero recensenda quoque sunt, accensa thura late fragrantia, & suffimenta fumos exhalantia, quae quotidie tam matutino, quam vespertino tempore, DEVS accendere iusserat. *Exod. XXX. 7. 8.* Nec non speciale illud odora- mentum, quod die anniuersariae expiationis in sancto sanctorum, arcam foederis versus, adolendum erat, *Leu. XVI. 12. 13.* Fumos vero sacrificiorum, vt alii putant, accensorum hic respici, quos ventus offerentes versus proflauerit, sacra scriptura nusquam docet. Vnde merito hoc mittimus, & potius typum odora- menti prosequimur. Ipse DEVS Mosi confe- ctionem huius suffimenti sacri praescripserat, *Exod. XXX. 34-38. Ieboua dixit ad Mosen: sume tibi aromata, stacten, & onychen & galba- num; aromata ista & thus purum solum, quod-*

que cum solo erit; tum facies illa suffimentum, &c. Hoc in usum tantummodo sacrum vindicatum voluerat; quare etiam seponendum erat ante tentorium, ut *sanctum sanctorum* esset. Nulli alii nec uti, nec comparare, licitum erat, quin potius poena indicta excidii, quam Hebraei כרת vocant, manebat eum, qui communi illud dedisset vsui. Sacrum enim erat Domino, hominibus autem minime concessum. Quaeritur hic, cur supremum Numen profanationem huius thymiamatis tanta vindicare voluerit poena? Praecipua haec videtur subesse causa, quia typus erat rerum in nouo testamento admodum illustrium. Nam ut taceam, quod illo iam tempore cultus diuini fuerit pars, & designarit preces, quas fideles Deo fundunt, quasque Christus summus sacerdos Patri suo coelesti offert, meritoque suo subinde acceptas reddit, *Apoc. VIII. 3.* cum alterum, quod ad cultus diuini exercitium pertinet, verbi euangelii tractationem comprehendat, uti haec nostra indicat tractatio, non diu dispiciendum erit, cur tanta seueritate, tantoque rigore sacrum huius vsum imperauerit. Praeterea, quoniam hominum saepius nimia est curiositas, hoc ipso

DEVS

DEVS Israelitas ab idololatria, ad quam nimum quantum proni erant, arcere voluit. Eadem est vnguenti sacri, quod in eodem capite praescriptum reperimus, ratio. Sed ad vberio- rem typi recensionem revertar. Subiectum, cui haec thymiamata, lege praecepta offerebantur, erat summus & aeternus DEVS, Pater & crea- tor omnium, DEVS ac Dominus populi Israe- litici, qui tentorium suum in medio ipsorum fixerat. Odoramentum illud typicum, sym- bolum erat laudis, & adorationis; nec non re- conciliationis, & expiationis medium. In lau- dem enim, & adorationem quotidie dnabus accendebatur vicibus; in reconciliationem vero semel quotannis, statuto tempore. Ab Aaro- ne summo sacerdote illud accendendum erat, imprimis solemnibus festo expiationis anniuersa- riae, vbi praeter summum sacerdotem, nemo ex gregariis admittebatur sacerdotibus, qui hanc DEO fragrantiam offerret, *Ebr. IX. 7.* Prout quoque praeter Christum sacerdotem nostrum, nemo genus humanum in peccata prolapsum, cum DEO reconciliare poterat. Finis vltimus, erat manifestatio gloriae diuinae, quod *Leu. XVI. 13.* haec indicant verba: *tegat*

autem

autem nubes suffimenti propitiatorium, quod est super testimonio. conf. *Ezech. X. 4.* Operculum enim super arcam foederis, quod Christum *ἱλαστήριον* praefiguravit, *Rom. III. 25.* nebula obtegendum erat, ad impetrandam reconciliationem; hanc autem manifestatio gloriae divinae secuta est.

§. XVI. En & Paulus ait: *DEO sumus bona fragrantia Christi*, pari ratione ac suffitus ille accensus suavis odoris. Omnes hic eminentissima quadam ratione typi affectiones, tanquam in antitypo inueniemus. Quis evangelii autor? Ipse DEVS Pater coelestis, quoad decretum, cum Filio & Spiritu Sancto; quoad manifestationem, per Filium suum in tempore; ipse illud reuelatum dedit. *Iob. I. 18.* Pater misericordiae, & DEVS omnis consolationis, qui in ecclesia sua habitat, ut verbum evangelii semper triumphare faciat, ac odorem cognitionis undiquaque manifestet. Ille, inquam, est, ad quem haec tendit *fragrantia Christi* Filii sui unigeniti, mediatoris Deum inter & homines peccatores pessimos. Hic summus sacerdos se ipsum obtulit, stititque se aeterno suo Patri cum merito & satisfactione aeternum valente, tanquam

quam odorem, ut halitus de se ipso spargeret longe lateque fragrantem, Deo gratissimos, hominibus saluberrimos. In diebus carnis sanctissimo suo ore euangelium praedicans, hunc odorem sine intermissione spiravit, euectus autem ad dextram potentiae Dei, per apostolos, quos ipse constituit, eorumque, quos illi initiarunt, successores, nunc ecclesiae ministros, sparsit, & spargit adhuc. Hoc euangelii odorem, cum ea in uniuersum omnia exponat, quae a saluatore peccatores mortui, captiui, & damnati expetere ac expectare possunt, odorem suauissime fragrantem exhalat. Vnde hoc euangelio ad laudes Deo persoluedas incitatur, & quomodo Pater rite inuocandus sit, perspicue edocemur. *I. Cor. XII. 3.* Illud ipsum etiam est, quod reconciliationem cum Deo annunciat, & media ad eam perueniendi simul nobis exhibet; quam ob rem ministerium euangelii ab apostolo non immerito vocatur, *διακονία τῆς καταλλαγῆς ministerium reconciliationis, II. Cor. V. 18.* Iugis erat accensio suffimenti, mane & uespere: euangelii usus eiusdemque ministerii, inter christianos nunquam praetermittendus. Sacrum erat thy-

D miamia,

miamā, nec vnquam sine summa reuerentia eo
 vtendum; sic haud impunem finit supremus
 iudex, verbi euangelii abusum atque profana-
 tionem. Typicum illud odoramentum, ceu
 nubes, propitiatorium tegebat. Hoc sine vlla
 intermissione in conspectu Dei Patris versatur,
 Christum vsquequaque circumdans, hunc effe-
 ctum secum ferens, quod Patris gloria, quae
 est in Iesu Christo, in toto orbe reuelatur. Hunc
 in finem Paulus illud appellat *Φωτισμὸν*, *illu-
 minationem euangelii, gloriae Christi, qui est ima-
 go Dei*, II. Cor. IV. 4.

§. XVII. Vnguenti sacri, quo sacerdo-
 tes initiabantur, & vasa sacra consecrabantur,
 recensio, eadem institui potest ratione; quippe
 quod ex praestantissimis confectum aromati-
 bus, fragrantissimum omnino edebat odorem.
 Hoc Moses itidem conficere iussus est, ad vsum
 tantummodo sacrum, vt nemo arcam foederis
 attingere auderet, nisi hoc inunctus fuisset vn-
 guento. Sua autem sponte reliqua ex antecede-
 denti tractatione profluunt, neque his tempus
 terere necessum erit. Addere praeterea pos-
 sem sacrificiorum aliorum typicam recensio-
 nem, eorundemque applicationem, huc egre-
 gie

gie spectantium, imprimis eorum, quae §. VI. iam perlustravi, utpote de quibus *euodia* odor suauitatis praedicatur; sed quoniam facilis nunc erit secundum antea dicta collatio, & ne iusto diutius huic inhaeream argumento, his supersedere hac vice licebit. Vti autem sacrificiorum accensiones odore nunquam carebant, ita & euangelii de Christo diuulgatio, non potest non Christi bonam semper spargere famam.

§. XVIII. Varia dantur in sacra scriptura symbola, quibus euangelii vox a Spiritu sancto exprimitur, varia schemata, quibus comparatur ad diuersam eius indicandam virtutem. Nunc enim Spiritus sanctus illud appellitauit cibum, vel lac, *I. Petr. II. 2. Ebr. V. 12.* nunc semen viuum *I. Petr. I. 23.* nunc vinum recens *Matth. IX. 17.* nunc pluuiam gratiosam *Psal. LXVIII. 10.* nunc margaritam, nunc florem. Estque id ipsum quidem medium ad salutem; hanc vero ut consequamur varie admodum in nobis operatur. Namque & illuminat & conuertit, & in fide confirmat, conseruat & sanctificat, desperabundos consolatur, & erigit, errantes castigat & emendat.

D 2

§. XIX.

§. XIX. Ex hisce autem colligimus, cur nostro in loco vocetur *εὐωδία χριστῆ*. Interim hoc tantum adhuc notamus, vocem euangelii eiusdemque ministerium, duplici respectu *bonam* dici *Christi fragrantiam*. Primo respectu Patris coelestis, cui Christi oblatio, quae in euangelio annunciat, magis placet, quam hominibus odor suavissimus. Non autem in iis solum, qui illud ut odorem Christi bonum recipiunt, est oblectatio DEI, sed etiam in iis qui pereunt. In saluandis namque inclarescit gloria misericordiae eius: in his autem, qui contumaciter se euangelio salutis opponunt, ac pereunt, innotescit laus iustitiae, *Rom. XI. tot.* Secundo tanquam bona fragrantia omnibus offertur hominibus, tum fidelibus, tum infidelibus. Fidelibus, vera fide istud recipientibus, salutem confert aeternam, adeo, ut non odoris instar boni solum illis offeratur, quin potius, quod maius longe est, *iis odor est vitae ad vitam.*

SECTI-

SECTIO SECVNDA

Dogmatica.

§. I. Vox euangelii, eiusque ministerium est *εὐωδία χριστοῦ τῷ Θεῷ*; *fragrantia bona Christi, Deo & hominibus.* Vocabulum ipsum *εὐαγγέλιον* egregie respondet voculae *εὐωδίας*. Hanc enim indicare *oblectationem quandam singularem*, supra ostensum est pluribus. Et hoc ipsum euangelium, bonum ac laetum est illud nuncium, quod refert *εὐδοκίαν* insignem atque gratuitam; quam supremum Numen erga miserimos fouet homines. Quam ob rem etiam vocatur *εὐαγγέλιον τῆς χάριτος Θεοῦ*, *Act. XX. 24.* Gratiam enim Dei nobis per Christum conciliatam, & annunciat, & offert, imo vrget, vt tempestiue, quae oblata ostendit, amplectamur. Huc refer, quando Paulus dicit: euangelium esse *τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς*, verbum reconciliationis *II. Cor. V. 19.* nulla prorsus alia ratione, quam vt, in quam euangelium consistat, quaeque eius summa, & finis sit, declaret. De reconciliatione nempe per Christum facta, certiores nos reddit, & quomodo ea fruamur, nobis ostendit.

Ἐυαγγέλιον dicitur vi vocis, *laetum nuncium*, adeoque idem significat, quod Hebr. בשרה a verbo בשר quod Io. Cocceius bene vertit: *bono nuncio quasi reficere & recreare*. Pari ratione etiam εὐωδία explicari & usurpari poterit, dum inter alia *bonam* denotat *famam* longe lateque diuulgatam, instar odoris, quem unguentum effusum exhalat. Haec bona fama quid quaeso aliud est, quam bonum ac laetum nuncium, quod vel de me ipso, vel de alio quopiam huc illucue fertur. Hinc facile appellationis ratio ob oculos versatur. Euangelium est bona ac iucundissima de Christo fama, quae de gratia Patris sui, quam promeruit, de satisfactione sua, hincque enata gratuita peccatorum remissione per fidem impetranda, vitaeque aeterna, per totum orbem est sparsa; non dubia quidem & anceps, uti fama saepius falsa & dubia est, cui nulla fides debetur; sed certissima est, ac extra omnem dubitationis aleam posita.

§. II. Varia de vocabuli *εὐαγγελίᾳ* etymo & acceptione inter theologos usitata, adferri possent; quia autem haec ubiuis obuia, & ex usu apud profanos scriptores frequenti

a B.

a B. CHEMNITIO imprimis annotata fuerunt, * silentio nunc ea praeterimus. Hoc autem notamus, quod quando h. l. de euangelio agimus, nullum apud theologos vsitatum prorsus excludamus sensum. Nihil enim obstat, quo minus vocem euangelii generaliori sensu hic accipiamus, quo totum noui testamenti ministerium, euangelii scilicet simul ac legis annunciationem complectitur, vti legimus *Luc. IX-6. Marc. I. 14.* Nam concio gratiae a concione poenitentiae nunquam separanda; quia haec praecedit, illa sequitur. Ideo ipse Seruator ab apostolis primum poenitentiam praedicari iussit, deinde autem remissionem peccatorum, *Luc. XXIV. 47.* Hunc itaque sensum, cum praecipue huius non sit loci, supponimus saltem, ne utiquam vero cum specialiori confundentes, qui euangelium doctrinam dicit gratiae, de gratuita peccatorum remissione, per fidem in Christum impetranda; quae non tantum in nouo demum testamento coepit, sed iam in veteri testamento, quanquam parcius, fuit annunciata. Ast hoc sensu euangelium opponitur

* L. L. theol. part. 2. pag. 204.

tur legi, quae iram & maledictionem commi-
 natur omnibus qui non possunt ea, quae ex-
 igit, praestare exactissime. Euangelium proinde
 est sermo & verbum gratiae, gratiam, & pacem
 omnibus offerens. Quare hunc si intenderis
 sensum, euangelium non dici poterit concio
 poenitentiae, quia remissionem peccatorum,
 & iustificationem promittit; ex lege autem
 agnitio peccati proficiscitur. Nostium hic fa-
 cimus sensum specialissimum, qui denotat do-
 ctrinam, seu concionem de Messia iam exhi-
 bito, & gratia per eum parta, omnibus ac sin-
 gulis annuntianda, quae nouo testamento
 est propria, & voci *ἐπαγγελίας* contradistin-
 guitur, *Act. XIII. 32.* Qua Spiritus sanctus ve-
 teris foederis oeconomiam, a noui testamenti
 dispensatione diuersam, indicat. Illa euange-
 lium i. e. promissiones tantum de futuro exhi-
 bendo redemptore mundi, per quem omnia
 erant restauranda, perhibebat, diciturque
ἐπαγγελία, *promissio* in specie: haec vero
 solemnem de Christo iam exhibito concionem
 nobis sistit, qui omnia restaurauit, Deumque
 cum hominibus sua passione & morte recon-
 ciliauit, promittens non solum remissionem
 pec-

peccatorum, sed etiam certam futurae gloriae consecutionem.

§. III. Atque hunc sensum obtinet vocabulum *εὐαγγέλις* in scriptis apostolorum, utpote qui ad id vocati, & ordinati erant, ut euangelium de Christo annuntiarent mortalibus, tam Iudaeis quam gentilibus. Vnde hoc primum suae concionis & cognitionis argumentum esse, Paulus contendit, se, inquit; Christum crucifixum hominibus annuntiare; imo se esse, dicens, *apostolum ἀφορισμένον ad euangelium Dei, quod per prophetas in scriptura promissum erat, de filio ipsius, qui ex semine Davidis quoad carnem oriundus erat, Rom. I. 2. 3.* Sed haec non ita accipienda volumus, ac si excluderemus ex apostolorum scriptis & sermonibus, euangelium sensu speciali acceptum: minime gentium! Euangelium enim specialissime acceptum, non hanc tantum refert propositionem: Christus Messias in veteri testamento promissus, nunc actu est exhibitus: sed & quo pacto donorum coelestium ac spiritualium a Christo nobis pactorum compotes fieri queamus, condocet. Vnde & hoc demum nomine *εὐωδία* & odor vitae ad vitam rectissime ab

E

aposto-

apostolo adpellatur. Nos enim qui per Dei gratiam noui testamenti oeconomia fruimur, non amplius futurum expectamus redemptorem, sed de exhibito, & partis per eum gratiae donis, gaudemus.

§. IV. Quoad substantiam, seu rem ipsam parum quidem discriminis inter sensum specialem & specialissimum intercedit; cum reconciliatio, & remissio peccatorum gratuita in Christo per fidem impetranda, quae in veteri testamento oblata fuit, eadem etiam in nouo offeratur. Vnde superflua videri poterat huius distincti sensus commemoratio, cum ad vnum ferme collineet. Interim, quoniam ipse Spiritus sanctus diuersum hunc offert sensum, & si non substantiale, accidentale tamen, & quoad circumstantias maximum discrimen aperte sese prodit, adnotasse non erit superuacaneum. Proprie enim, noui testamenti euangelium est illud, quod Messiam exhibitum, non demum sperandum, cum infinito merito eius, & satisfactione fide amplectendum sistit, & gratiam, peccatorum remissionem, & vitam aeternam per ipsum impetrandam offert. Ast in veteri testamento promissiones tempore noui testa-
menti

menti implendae, constituebant euangelium, unde etiam κατ' ἐξοχὴν promissionis nomine veniebat. Nihilo tamen minus euangelium noui testamenti voce ἐπαγγελίας saepius designatur; in quantum scilicet vitam aeternam ac rem futuram expectandam proponit.

§. V. Ex hoc inter ἐπαγγελίαν & εὐαγγελιον constituto discrimine nostrates optime inpugnarunt errores Pelagianorum, Socinianorum, Arminianorum, & Anabaptistarum, contendentium: *Homines ante legem, sola lege naturae iustificatos, & saluatos esse, post Moysen sola lege Moysi; in N. T. lege euangelica; euangelium specialiorem significatum cum Christo in carne manifesto primum coepisse.* Idem enim iustificationis modus, idemque euangelium a lapsu primorum parentum fuit. Scriptura sacra enim satis testatur, quod, quo modo, & quibus mediis iustificentur, & salui reddantur, homines sub noui foederis oeconomia, eodem modo ac iisdem mediis, iustificati & salui facti sint, qui sub V. T. oeconomia vixerunt. Disertis verbis hoc affirmat Petrus in concilio Hierosolymitano Act. XV. 11. Δια χάριτος κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ πιστεύομεν σωθῆναι
 E 2 καθ'

καθ' ὃν ἴσθ' καὶ οἱ καὶ οἱ. Intelligere quidem Sociniani volunt per καὶ οἱ gentes; sed ipse textus, scopus & totius sermonis nexus iis obstat. Quaestio enim erat; an hi, qui ex gentilibus conuertebantur, tenerentur legem ceremonialem obseruare, & circumcisionem recipere? ad hanc Petrus respondet: DEVM ex mera gratia gentilibus spiritum sanctum donasse, & sine vilo operum merito corda per fidem purificasse, vt eos saluaret. Si ergo Deus nihil aliud vult, quam fidem in Iesum Christum, certe nec alia gentilibus ineunda est salutis via, nec iugum legis ἀβάσαντον illis imponendum, contra perpetuam, qua Deus in veteri etiam testamento vsus est, iustificandi rationem, & contra euangelii tenorem. Videant ergo Smalcus & Socinus, quam nefarie hic sensum contra omnem textus cohaerentiam detorqueant, & quam inique vocem καὶ οἱ ad remotum subiectum *com. 7.* retrahant, cum *com. 10.* propius & commodius adsit. Referuntur ad se inuicem patres veteris testamenti, & fideles noui testamenti, tum ex Iudaeis, tum speciatim ex gentilibus ad Christum conuersi apostolorum ministerio, vt elucescat, vtrosque per

per gratiam Iesu Christi saluatos. Hanc vero relationem apostolus non alium in finem instituit, quam ut euinceret, & in aprico poneret, gentiles ad Christum conuersos non teneri legis ceremonialis iugo ἀβασάντω, cum iustificatio & salus in solius Christi merito, fide apprehenso, sit quaerenda. Quid? quod si epistolam ad Romanos conferamus, prolixè Paulus ibi probatum dedit, inter patres Abrahamum per fidem in Christum iustificatum esse; & inde iustificationis rationem in omnibus demonstrat *cap. III. IV.* Stat itaque sententia inconcussa: patres veteris testamenti per gratiam Iesu Christi saluatos esse, & idem fuisse in veteri testamento euangelium, ac in nouo. * Quicquid enim in nouo testamento apostoli & euangelistae praedicarunt, & scripserunt, ea iam prophetae & viri veteris testamenti θεόπνευστοι euangelizati sunt, teste Paulo *Gal. III. Rom. I. 2.* Vnde & EVSEBIUS ait: ** *Quaecunque euangelistae & apostoli de eo tanquam exhibitio nar-*

E 3 rant,

* Vid. Scherzeri *colleg. Anti-Socinian. disput. LXXIII. pag. 634.*

** In *demonstrat. euangel. l. IX. add Scultetus in medulla patrum pag. 774.*

rant, ea prophetarum oraculis comprobantur.
 Et quid est quod isti homines dubitant, an in veteri testamento idem fuerit euangelium? certe si Christum etiam in veteri testamento mediatorem fuisse crederent, non haberent, quod negarent. Hoc qui nititur fundamento, omnibus obiectionibus facile obuiam ibit. Christum autem fuisse mediatorem veteris testamenti, satis nostrates probatum dederunt; conf. *Act. X. 43.*

§. VI. Atque hoc euangelium Spiritus sanctus non sine pondere & emphasi insigni vocauit *bonam fragrantiam*, seu *suauem odorem*. Quemadmodum enim (1.) odoramentum ex optimis conficitur aromatibus, ita quoque euangelium Iesu Christi quoad materiale constat donis & bonis spiritualibus. * Gratiam DEI enim gratuitam nobis proponit, Christum cum merito suo, qui Patri suauissima est oblatio, ut caput summum exhibet. (2.) Pro ut effectus testantur de thymiamate eiusque virtutibus, ita quoque effectus, qui in euangelio adsunt longe vberimi, de eo eiusque virtute
 satis

* Vnde tam egregia sortitum est nomina, vid. Io. Gerhard in *LL. theol. part. III. loc. de euangelio.*

fatis testantur; &, vt paucis plura complectar, eos tum priuatiue tum positue experimur. Priori modo pellit foetorem iniquitatis ex peccatis coram facie DEI ortum, commonstrando, fugiendum esse peccatum cane peius & angue, &, si commissum est, abluendum esse sanguine agni mactati, vt in communionem cum DEO perueniamus, *I. Iob. I. 7. seq. coll. com. 1.* Pellit mortem spiritualem; & quoniam verbum vitae est, a Christo qui fons omnis vitae est, proficiscens, viuificat omnes, qui illud recipiunt, *Iob. VI. 68.* Posteriori modo operatur, corroborando imbecilles & vacillantes, vires per Christum partas offerendo, *II. Petr. I. 3.* desperabundos & morti vicinos erigit, & consolatur, ne animum abiiciant, incitatque vt Christo viuamus, mundo crucifixi moriamur, & suauem virtutum odorem edamus coram impiis. (3.) Tandem operandi modus in suffimento occurrit animaduertendus. Subito per nares irruunt particulae odoriferae, ac cerebrum, spiritus animales mouendo, iucundatitilatione afficiunt. Ita quoque sese res habet in euangelio. Velocissime enim penetrat & mentem ferit; imo imperuestigabilis est modus

in contrariis ad h. l.

dus operandi, adeo, ut, ἐνέγγυται quam illu-
 minando, conuertendo, & sanctificando ex-
 ferit in hominum animis, admirari magis quam
 penetrare possimus. Egrege admodum hac
 de re B. HVNNIVS loquitur: * *Admini-
 strant Doctores & Pastores euangeliorum, euan-
 gelium, ut fiat oblatio auditorum suorum acce-
 ptabilis, sanctificata per Spiritum sanctum. At-
 que sic cedit hominibus ad refectionem anima-
 rum, dum spiritualiter in peccatis mortui, hoc
 odore euangelii doctrinae viuificantur, dum pec-
 catorum sensu in animi deliquium lapsi recrean-
 tur, efficaci fragrantia promissionum euangeli-
 carum, utpote quae continent verba vitae.*

§. VII. Ratione originis recte euange-
 lium dicitur ἐὺωδία χριστοῦ. Quemadmodum
 enim aromata odorem fragrantem edere solent,
 ita Christus odorem edit longe fragrantissi-
 mum, euangelium diuinae veritatis & gratiae
 plenum. Quare Iesaias de eo dicit *cap. XI. 3.*
*odorari eius erit in timore Domini; quod prae-
 cipue factum, quando seipsum tanquam sacri-
 ficium DEO obtulit, ut placaret Numen per*
homi-

* in comment. ad h. l.

hominum peccata offensum. Quaerunt hoc loco interpretes, * vtrum verbum חריח transitivie vsurpetur, vt significet *suffire*, an vero significet intransitivie *odorari*, eo sensu: Messias oblectabit se in timore Domini, quasi odore grato; *Er wird seine Lust haben an der Furcht des HErrn* / cui & ipsa Lutheri versio primo intuitu assentire videtur: ast optime hoc explicavit vir beatus. ** SEBASTIANVS SCHMIDIVS, *** qui & Lutherum sequitur, transitivum mavult sensum; quod probat ex *XXX. cap. Exod. 38.* & recte reiicit illorum sententiam, qui per *sentire* vel *cognoscere* illud explicare voluerunt, quibus textus ipse e diametro aduersatur. Totum caput sistit nobis Messiae futuri descriptionem, ratione personae *com. 1. 2.* & officiorum; & officium quidem sacerdotale *com. 3.* per vocem *suffire* innuit. Sacerdotibus enim veteris testamenti, qui Christi erant typi, *suffire* compete-
 bat. Christus melioris foederis sacerdos

F in

* Inter quos locum obtinet Io. Cocceius.

** In *glossa marginali.*

*** In *comment. ad b. l.*

in nouo testamento apparuit, &, quod illi typice ad expiandum populum praestare iusti erant, vt verus sacerdos, sufficienter exhibendum suscepit. Ideo suffire ipsi tribuitur, quod totum ipsius officium mediatorium complectitur, ceu ex epistola ad Ebraeos liquet, cuius auctor dicit: *Christum obtulisse tanquam sacrificia vel thymiamata preces & supplicationes cum clamore valido & lacrymis ad eum, qui poterat seruare ipsum ex morte, & exauditus est ex reuerentia; cap. V. 7.* Ecce sacerdotale officium Seruatori nostro adscriptum.

§. VIII. Eodem sensu de Messia vnguento laetitiae vncto *Psal. XLV. 9.* talia existant verba, quae de humana ipsius natura exerte loquuntur: מור ואהלוח קציעות כל בגדיו
 Vestes humanam Christi naturam, seu corpus eius, quod secundum humanam naturam gessit, significant. Quando ergo Christi vestes aromatibus fragrantissimis compositae, dicuntur, extra dubium odorem ingentem exhalantes; nonne innuitur eius corpus, corporisque organa externa, suo quodlibet genere, agendo, loquendo, mouendoque, dum

dum in carne versabatur, optimum semper edidisse odorem? Manus sanando & benedicendo, os verba vitae proferendo, laetissimamque euangelii vocem indefinenter edendo. *Hæc est, inquit, BRENTIVS, * iucundissima illa fama, quam Christus ipse prædicatione euangelii sui, & apostoli eius non tantum in Iudæa, sed & in toto terrarum orbe sparserunt.* Se ipsum Saluator missum esse testatur, vt euangelium prædicaret, *Luc. IV. 18.* Imo principium & fons, vnde euangelium proficiscitur, est ipse Christus, ideoque vocatur *εὐαγγέλιον χριστοῦ*. Omnia enim quæ in saluberrimis eius sermonibus, vel de fidei dogmatibus, vel morum capitibus prædicantur, ipsi debent suam originem tanquam causæ efficienti principali. Nullo autem modo excludimus Patrem, & Spiritum sanctum a causâ principali euangelii, quia euangelium se habet tanquam opus ad extra, quod toti sacro sanctæ Trinitati est commune. Potest tamen Christus etiam dici

F 2

euang-

* *In enarrat. in psal. ad b. l.*

euangelii obiectum, quia quicquid euangelium proponit, de Christo agit & ad Christum tendit; quippe qui cum merito ac donis suis euangelii est nucleus, quem si non quaeras in eo, sed circa corticem haereas, auram captabis.

§. IX. Obiectum huius *εὐωδίας* seu ad quem haec tendit *Christi bona fragrantia*, est Deus coelestis Pater. Placuit Deo creare homines sibi similes, quibus delectari posset uti pater filio suo. Lapsis autem iis, haec voluptas in taedium & iram versa fuit, quae aeternam eorum perniciem comitem habebat. Sed ne in perniciem quam lapsu suo sibi conflauerant detruderentur, nunquam finiendis subiiciendi cruciatibus, DEVS misericordia erga eos ductus *πρωτευαγγέλιον* in paradiso annunciabat, sancte promittens, fore, ut tempore completo semen mulieris benedictum caput Stygii serpentis contereret, eosque redimeret. Hoc euangelium ipse *Gen. III. 15.* annunciauit, subinde sub variis oeconomis ac dispensationibus repetitum, hominibus proposuit, hunc in finem, ut homines oblatam
 reci-

reciperent gratiam, omni studio fideique obsequio, quo Dei renouaretur voluptas. Deo est bonus ac suavis odor euangelii verbum, quia ex ipsius benigna voluntate, gratiae immensae & misericordiae plena profectum est; quam ob rem ab apostolo Paulo vocatur *ὄσμη θεοῦ* *Act. XX. 27. coll. com. 24.* Non potest non DEO Patri esse *εὐωδία* quia ab ipso est; ita etiam non potest non ei esse gratissimus & suauissimus odor, quia filius *ἐν ᾧ εὐδόκησε* illud misero hominum generi e sinu ipsius reuelauit, & per apostolos reuelandum curauit. Haec *εὐωδία* satis euidenter conspicitur, si effectum euangelii pensitaueris. Est enim non solum causa regenerationis *I. Petr. I. 23.* & ipsius salutis nostrae *Rom. I. 16.* sed etiam certiores nos reddit de reconciliatione hominum cum Deo per Christum facta, de pace, a Principe pacis in cruce per sanguinem ipsius restituta, *Col. I. 20.* Inde indissolubili fuit nexu diuinae gloriae per orbem diuulgatio; multifaria siquidem DEI sapientia per illud patescit, qui saluare vult & potest infensissimos sibi hostes, vt iustitiae suae nihil

quicquam decedat, nec misericordia labefactetur. *Ephes. III. 10.* Diuinam bonitatem, & potentiam nobis conspiciendam praebet, *I. Cor. I. 24.* Veritas DEI immota omnium maxime conspicua redditur, & qui alii sunt eiusmodi effectus insignes, qui non possunt non Deo *euodia* esse, magis, quam homini odor fragrantissimus.

§. X. Non vero obstat, quod multiplicem effectum hunc exoptatum euangelii praeconium, non semper assequatur. Experientia enim docet, non omnes euangelio obedire, vt illud recipiant, per illud vocantem audiant, trahentem sequantur. Culpa non residet in euangelio, sed in iis qui perunt. Obiectum quidem euangelii sunt in vniuersum omnes homines, quos Deus serio & efficaciter omnes saluandos vult; sed quia multi ex vniuerso hominum coetu illud pessime reiiciunt, hinc fit, vt huius generis hominibus fiat odor mortis ad mortem; cum e contrario caeteris sit odor vitae ad vitam. Scilicet sicut aromata pro diuersarum naturarum dispositione, saepe numero diuersos effectus exserunt; sua-

suauissime fragrantia, quae his oblectationi
 ac confortationi sunt, aliis animi deliquium,
 taedium & incommoda varia adferunt; ita
 quoque fragrantissimus euangelii odor piis
 est odor vitae ad vitam, impiis vero & con-
 temtoribus odor mortis, ad mortem tum
 spiritualem, tum aeternam. Neque hoc est
 ignominiosum Christo, sed vtrumque glorio-
 sum, qui non tantum est constitutus creden-
 tium Saluator, sed etiam incredulorum iu-
 dex, cui Pater omne iudicium secundum hu-
 manam naturam commisit. *Iob. V. 22.* Eo-
 dem discrimine Deus immutabilis, piis dici-
 tur lux, vita & gaudium, impiis vero ignis
 consumens. Et Christus fidelibus suis est
 sempiterna salutis petra, ecclesiae suae lapis
 angularis, contemtoribus autem, lapis offen-
 sionis & petra scandali. *Es. IIX. 14. I. Petr. II. 7.*
Matth. XXI. 42. Exemplum hac de re egre-
 gium in ipsius Christi oratione nobis sistitur.
Iob. VI. com. 60. Erant, qui posteaquam
 Christi sermonem audiuerant, non ferre illum
 volebant, ideoque a Christo secedebant, di-
 centes, *σκληρός ἐστιν ὁ λόγος. Τίς δύνα-*
 ται

ταυ αὐτῶ ἀνέειν. Petri contra qui eandem
perceperat orationem, confessio, longe aliter
sonat *com. 68. Domine ad quem abibimus? ver-
ba vitae aeternae habes.* Ita huic Christi ser-
mo vt odor vitae, suavis erat & salutaris.

§. XI. Euangelium autem Christi,
quod bonus odor audit, non natura innotuit,
sed Deus ipse reuelauit odorem cognitionis,
qui alias absconditus fuisset in aeternum.
Nostro tempore Deus Opt. Max. ordinarie
hunc in finem constituit ministros ecclesiae,
Christi & apostolorum successores, quorum
ministerio haec Christi fragrantia per orbem
terrarum spargitur. Horum enim functiones
circa verbi diuini praedicationem, nec non
sacramentorum administrationem, versantur.
Quare ministerium horum *εὐωδίας* quoque
nomine venire potest, & dignitatis, qua gau-
det, documentum praebere. Originem
nempe indicat, qui Christus ipse, finem, qui
DEI gloria, & hominum salus. Quod plu-
ribus stabiliri posset, si, quae occurrunt in
sacra scriptura denominationes euolueremus;
sed paucis id praestare sufficiat. Vocatur hic
status,

status, seu ordo ecclesiasticus *ministerium*,
verbi diuini Act. VI. 4. quoniam circa eius
annunciationem versatur: *ministerium fidei*,
quia per verbum quod annunciat, fides ge-
neratur & producitur. Ipsum hunc DEVS
immediate ordinauit statum, quando *πρωτευ-*
αγγέλιον ipsemet annunciauit. Grauius
ergo peccant, qui sinistre de eo sentiunt, aut
se, eo indigne gerunt. Hoc ipso enim *bonam*
Christi fragrantiam foetidam reddere audent,
ii imprimis, qui id non dant operam, vt vir-
tutum exercitio Deo sint suauis odor, & in
verbi diuini praedicatione, inculpatae fide-
litas. His & ii accedunt, qui huius status
functiones, omnibus sine discrimine attribue-
re volunt christianis, vi sacerdotii spiritualis,
contra Pauli mentem, qui non quemlibet ad
hoc tam arduum munus idoneum esse dicti-
tat, & se propriis quicquam valuisse viribus
negat, e contrario se a DEO ad hoc separa-
tum negotium fatetur. In hoc ergo trium-
phauit; nec *καπηλέων*, sed *ἐξ εὐληκειας*
tanquam ex DEO coram DEO, Christi ver-
bum praedicauit. Qui eodem modo sunt

G

con-

constituti verbi diuini ministri, & eadem ratione suo funguntur officio, sunt *Christi bona fragrantia Deo.*

§. XII. Mox a lapsu euangelium Christi instar boni odoris primis parentibus a Deo ipso spargebatur. Postea vero per patriarchas, & prophetas aliosque viros veteris testamenti *Ἐοπνεύσης* annunciabatur, licet non tanto claritatis gradu, vt postea noui testamenti temporibus, quae diei speciem prae se ferunt in relatione ad tempora veteris testamenti, quae vti nox obscura fuere. Nam hic per typos, umbra & obscuriora vaticinia euangelium suauissimum denunciabatur; sed temporibus noui testamenti instar clarissimi iubaris erumpebat. Christus per triennium & quod excurrebat illud clarissime praedicabat, ipsoque ad dextram patris euecto, per apostolos, quos conuocauerat ac ordinauerat, hominibus annunciandum curabat. Hi totum ferme permigrarunt mundi ambitum, & praedicando, scribendoque hunc odorem sparserunt. *Seculis subsequens per viros aposto-

* Vid. Danhauerus in *Christeide p. m. 155. seq.*

apostolicos, Patres & doctores alios, vsque in hunc diem idem praestitum est.

§. XIII. Ex hac euangelii descriptione discrimen legis & euangelii innotescit, quod quoad theoriam facile quidem percipitur, in praxi autem, eiusdem discretio difficultate non caret. Quare MEGALANDER LUTHERVS notanter admodum dixit: * *Qui bene nouit discernere euangelium ac legem, Deo agat gratias & sciat se esse theologum. Ego certe in tentatione nondum noui ut deberem. Item: saepe dico istam doctrinam fidei esse facillimam, istamque distinctionem legis & gratiae quemlibet facile posse intelligere, quantum ad verba attinet, sed in ipso usu, vita, affectu esse difficillimam.* Quod discrimen ipsum legis & euangelii in theoria attinet, varie id theologi nostrates delinearunt, neque eodem ordine, neque eodem numero hoc recensuerunt. CTRILLVS VT B. IO. GERHARDVS obseruat ** ad decem hoc redigere voluit

G 2

luit

* In commentario in epist. ad Gal. cap. II. opp. tom. IV. Ienens. latin. p. 40.

** In L. L. theol. tom. III. de euangelio §. 54.

luit capita, sed citra necessitatem. GERHARDVS ipse ad quinque membra reuocat, cum reliqua omnia ad haec commode referri possint. Nos vero cum aliis sex constituemus classes. α) Euangelium dicitur *bona fragrantia* odor vitae, i. e. consistit quoad *formam* in promissionibus gratiae gratuita. Ast lex nusquam hoc censetur nomine, quanquam ante lapsum aequae ac euangelium verbum vitae fuit, post lapsum tamen litera occidens, eiusque ministerium, ministerium mortis, & damnationis appellatur. *II. Cor. III. 6. 7. 9.* Promissiones quidem continet, sed compensatorias, quae fiunt sub conditione perfectae obedientiae. β) Primarium hic facit momentum *mediator*. Legis mediator fuit Moses *Gal. III. 19.* euangelii autem Christus, melioris foederis sponsor *Ebr. IX. 15. VIII. 6.* ideo *εὐαγγέλιον* *χριστός* audit. Hanc causam mediatricem omisit B. GERHARDVS, quia ad originem pertinere putat, sed quoniam ipsa sacra scriptura sigillatim saepius eius facit mentionem, omnino notanda. γ) Euangelium a lege differt quoad
mate-

materiam. Lex est doctrina operum, nescia Christi mediatoris. Euangelium autem est concio gratiae, ac fidei in Christum, *Gal. III. 2.*
 δ) Ratione *originis* & patefactionis. Lex est natura quoque nota, iamque in statu innocentiae lata. *Rom. II. 15.* Euangelium, post lapsum, per Christum reuelatum est. *Iob. I. 18.* Ipse enim Deus odorem cognitionis per filium suum, qui in sinu patris fuit, reuelat. ε) Effectu nimium quantum lex ab euangelio distat. Lex enecat, ingratus subinde transgressoribus existens odor; euangelium absoluit, recreat, quoniam est odor vitae ad vitam. ζ) Differunt tandem *obiecto.* Lex proponitur impenitentibus, & contumacibus peccatoribus, vt ad agnitionem peccati, & cordis contritionem perueniant. *I. Tim. I. 9.* Euangelium tanquam bonus ac suavis odor poenitentibus & contritis vt recreentur, offerendum est, ne sub legis comminationibus succumbant. *Matth. XI. 39.* Reliqua, quae de discrimine legis & euangelii adseruntur, & a

B. GERHARDO, DANHAVERO, & QVENSTEDIO recensentur, ad hasce sex classes recte referuntur.

runtur. Ex hoc legis & euangelii discrimi-
 ne, diuersitas status legalis & euangelici fluit,
 qui in oeconomia veteris foederis fuit adum-
 bratus. Quantum interim hic inuatur legis
 & euangelii discrimen, tanta est eorundem in
 praxi vitae sanctae coniunctio arctissima. In
 renouatione enim legis vsus nunquam omit-
 tendus, ob inhaerentem adhuc prauitatem,
 quae magis magisque delenda, qua de re b.
 LUTHERVS iterum exacte scribit: *Nil maius
 coniunctum est, quam timor, & fiducia, lex
 & euangelium, peccatum & gratia; tam con-
 iuncta enim sunt, ut unum ab altero absor-
 beatur. Ideo nulla mathematica coniunctio
 potest dari, quae huic similis.* Id quod apo-
 stolorum quoque edocent scripta, qui non
 consolantur solum, & bona promittunt, sed
 etiam damnant & castigant, legem & euange-
 lium arctissimo nexu tractantes, ita vt nec se-
 parent, nec confundant, quanquam sollicitè
 admodum distinguant. Sic enim verus ac-
 certissimus sequitur fructus, qui in aeternam
 vsque perdurabit vitam.

§. XIV. Quam ob rem studeamus omnino, vt rectum euangelii intelligamus, & seruemus vsum. Hoc enim cum gazophylacium sit, in quo omnium donorum spirituum diuitiae nobis reteguntur, imprudens omnino sit, necesse est, qui non meditetur, quam ratione inde aliquid impetrare possit, aut si iam acceperit, illud magis ac magis augere queat. Exploremus nos serio, quosnam ex euangelio adepti simus fructus, inquiramusque, quo studio, quo animo, & quam deuotione euangelii verbum tractauerimus. Certe si fructus aut nullos, aut exiguos reperimus in mentibus nostris, penes nos culpa latebit. Excutiamus ergo torporem, eoque aduersus euangelium adfecti simus animo, quo David *Psal. XIX. 11.* qui illud super aurum amabat & super mel appetebat. Omnes mortalium gestiunt profecto, salutem aeternam consequi, (verbis saltem.) Euangelium est verbum salutis, in quo, qui putat salutem se posse consequi, non errat. Recto itinere ad salutem contendit, si illud, vt decet, ducem eligat.

§. XV.

§. XV. Maxime commendatum nobis habeamus hoc verbum, quia spiritualement & aeternam promittit vitam. Recte circa illud nos geremus, si remotis omnibus obstaculis id vnice operam demus, vt effectus suos euangelium in nobis exferat, intellectum magis magisque illuminando in cognitione Iesu, quae omnem vanam & splendidam mundi scientiam longe superat; voluntatem in dies sanctificando, vt suauem virtutum christianarum spirem odorem, Deo gratum acceptumque. Pudeat nos in conspectu DEI omnipraesentis, qui nos ad communionem suam vocat, versari in iniquitatum foetore. Huc tendamus, idque vnice maxime meditemur, vt in hora tentationis, & mortis agone firmam habeamus consolationem!

SOLI DEO GLORIA.

Fr. Edm.

St. Maria

St. Michael

St. Johannes

St. Peter

St. Paulus

St. Agathe

St. Barbara

St. Ursula

St. Katherina

St. Margarethe

St. Elisabeth

St. Anna

St. Maria

St. Joseph

St. Martin

St. Nikolaus

St. Leonhard

St. Vitus

St. Wendelin

St. Gallus

St. Kilian

St. Exuperianus

St. Severin

St. Mauritius

I, A

